

5

DE SANCTO

---

P R O L O G V S A D  
L I V D V L P H V M A R C H I  
E P I S C O P V M .

*Prædicandus liberalis in Sanctos Deus.*

**N** omni creaturarum multimoda vni-  
uersitate, opifex earum Deus magnificus  
atque mirabilis perpenditur: & cum so-  
lus lucem habet inaccessibilem, ideoq;  
ab homine nullo qui mortali tegitur carne, videri  
possit; per ea tamen, quæ condidit, æstimari se conce-  
dit. In quibus omnibus, dum potens & mirificus eui-  
denter appareat; perspicacius, pulchrius, atque dul-  
cius in sanctis hominibus magnificentia ipsius irra-  
diat. Hi deniq; voluntati eius morem gerendo, præ-  
ceptorum disciplinæ semet penitus submittendo,  
Condito rem suum adsciscunt sibimet intimum ha-  
bitatorem: huncque habentes cooperatorem, quam  
mirandus, quam potens, quam bonus Israël sit Deus,  
cæteris clarius ostendunt. Quod egregius Prophetarum  
David, ingenio sagaci contemplans, *Mirabilis, psal. 67.*  
inquit, *Deus in Sanctis suis, ipse dat virtutem & forti-  
tudinem.* ac si diceret. Vos, qui Sanctorum virtutes  
ammiramini, magis illum qui dat, contemplamini.  
Idem in vltimis psalmorum, vbi omnem creaturam  
in Dei laudes ordinat, electè atq; singulariter canen-  
do inuitat: *Cantate Domino canticum nouum: laus psal. 149.*  
(enim) eius (præcipua) in *Ecclesia Sanctorum.* Et iterum  
*Laudate Dominum in Sanctis eius.* Hymnus quo- *psal. 150.*

DE SANCTO

que trium puerorum, immanissimæ fornacis diuinitus igne sopito, concelebratus; omnia Domini opera ad ipsum benedicendum ordine incitat: incipiens namque à summis, id est Angelis & Cœlis, descendit ad infima, id est terram & maria, inque his nascentia, atque habitantia. Quibus omnibus decursis, ita claudit. *Benedicite Spiritus & animæ Iustorum Domino, Benedicite Sancti & humiles corde Domino.* ac si huiusmodi verbis, cantilinæ vim exponat: Omnia quidem opera Domini benedicendum illum significatis, quem in vobis miramur; ineffabiliter tamen Sancti & humiles corde præbetis mirabilem, quem vobis promeruistis Cooperatorem. Idcirco nullum oportet ambigere, quin in Deum transmittatur honor, qui Sanctis exhibetur. Et omnis, qui gesta & virtutes eorum scribit, aut prædicat, operantem in eis Dominum magnificat.

Huiusmodi ergò rei consideratione animatus, simulque Fratrum benignissimorum atque in Christi charitate feruidorum petitione pulsatus; vitam & actus sanctissimi Patris eximijque Pontificis Pyrminij, describere conabor. Nam, etsi temeritatis verear elogium, quod lingua minus limata, eloquio inculto, verborum inops, tam Reuerendæ dignitatem materiæ aggredi præsumo; tamen fiducia robur ingerit, quæ de Dei gratia nullo modo desperare, permittit. Ipse enim cordis scrutator & examinador, plus rusticitatis beneuolentiam, quàm periti sermonis probat affluentiam: vnde etiam Regni sui Euangelium magis incultis piscatoribus, quam facietis commisit oratoribus,

PYRMINIO.

ribus. Quod tamē opus, tibi, Reuerendissime Archi-  
præsul Liudolphe, considerādum & examinandum  
committo: quia fides & veritas te composuerūt; cæ-  
teræq; virtutū cateruæ tam firma tutela muniunt, vt  
liuore careas & ab omni vĕtositate immunis existas.

Precor ergò, vt si qua fuerint insulsè prolata, in me-  
li<sup>o</sup> fingas; superflua reseces; nec ante in aures publicas  
prodire sinas, quam iusti examinis librâ perpensum,  
tuæ sagacitatis fuerit lima probatum. Quamuis e-  
nim mihi non insit cornea fibra, potius tamen iudi-  
cio, à prudentibus corrigi, quam adulatorum falsilo-  
quio, commendari.

Sed iam tempus est, ad explicandâ memorati Præ-  
sulis gesta vertere stylum: cuius, quæ fuerint ab inc-  
unte ætate rudimenta, quibus in adolescentia sancti-  
tatis rutilauerit floribus, vel quibus per omnem iuue-  
tutem vsq; ad promotionem Pontificatus, excreue-  
rit virtutum insignijs; nimium culpanda Scriptorum  
incuria, notare neglexit. Pauca dumtaxat, quæ sub  
Pontificatus tempore gessit, obscure exarata reperi-  
mus; ipsa, si Christus opem dederit, euidentius atque  
operosius exprimere studebimus.

Verum tamen quod magna fuerint in sancti-  
tatis feruore, quæ Scriptores non fecerunt cognita;  
manifestauit quam post operatus est miraculorū emi-  
nentia: nam ipse, qui ait. *Ego glorificantes me glorifica-* *Hier. 30.*  
*bo;* à consequentibus donauit argumentari,  
quanta fuissent, quæ præ-  
cellerunt.